Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26001
Copyright: Admont, Benediktinerstift

occides. Illi non solum hoc non faciunt, sed etiam castitatem seruant uirginitatis. et non solum ab homicidio se abstinent, sed insuper inimicos suos diligunt. Qui autem sunt christi carnem suam crucifixerunt cum uiciis et concupiscentiis. Qui autem sunt christi, hoc est qui pertinent ad sortem christi, uicia et concupiscentias malas in carne sua uel in corde suo mortificauerunt. Quot enim peccata a nobis expellimus, tot semper in nobis occidimus. et carnem crucifigimus et mortificamus, quando delectationi praue et uoluptati peruerse non con … sentiemus.

XV.

FRATRES. Si uiuimus spiritu, spiritu et ambulemus. Et cetera.

Hoc de spiritu sancto loquitur. Si inquit uiuimus spiritu, hoc est si per spiritum sanctum uitam habemus, per quam uiuimus deo, spiritualiter debemus conuersari et uiuere, ambulantes de uirtute in uirtutem, uirtutes sectando, uicia respuendo. Vita anime fides est, qua credimus dominum omnipotentem. Et sicut corpus uiuit anima, ita anima uiuit fide, iuxta quod dominus per prophetam dicit: Iustus autem meus ex fide uiuit. Quod si subtraxerit se, non placebit anime mee. Que fides per spiritum sanctum nobis tribuitur, qui est unius substantie cum deo patre et filio. et non sola fides ab illo nobis datur, sed si quid boni habemus ab illo nobis amministratur. Non efficiamur inanis glorie cupidi. Que est inanis gloria? Laus humana, fauor terrenus, de qua dicit apostolus: Si ab hominibus gloriam quero, gloria mea nichil est. Que recte inanis dicitur, quia uacua est ab omni humilitate. Est tamen et gloria utilis, de qua dominus dicit: Qui me glorificauerit, glorificabo eum. Qui sunt ergo cupidi et appetitores inanis glorie? qui pro bono quod agunt non querunt placere deo, neque mercedem eterni muneris ab eo recipere, sed gloriam et laudem temporalem, de quibus dominus dicit: Omnia opera sua faciunt ut glorificentur ab hominibus. Isti tales audient in die iudicii: recepistis mercedem uestram, quia sunt multi qui non solum pro bono querunt laudari, sed etiam pro malo, et non solum ab aliis, sed insuper ipsi se extollunt et gloriantur de uirtutibus. Perfecta autem et ple[…]na gloria est, ut homo pro bono quod agit omnipotenti desiderat placere deo in corde et ab illo mercedem expectet, et gaudeat in corde quod placet creatori suo. et ita agat bonum quod operatur ut opus sit in publico, d… non et intentio in occulto. Qui hoc facit, non est cupidus inanis glorie, sed plene. Inuicem prouocantes uos ad iracundiam, ad lites, ad contentiones, inuicem inuidentes uobis. Erant apud galathas quidam seducti a pseudo apostolis et iudeis, contendentes de genealogiis et questionibus legis, ex quibus quidam dicebant: melior est circumcisio quam baptismus. E contra alii: melior est baptismus quam circumcisio. Item alii dicebant meliorem esse allegoriam quam hystoriam, quia allegoria, id est spiritualis intellegentia, uiuificat, littera occidit. E contra alii dicebant: Melior est hystoria, ubi ueritas continetur, quam allegoria uana et umbratica. FRATRES. Et si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.